

Omnia per ipsum et in ipsum creata sunt.

Léctio Epístolæ beāti Pauli apóstoli
ad Colossénses

1, 15-20

- ¹⁵ **C**hristus Iesus est imágo Dei invisíbilis,
primogénitus omnis creatúrae,
¹⁶ quia in ipso cóndita sunt univérsa in cælis et in terra,
visibília et invisibília,
sive throni sive dominatiónes
sive principátus sive potestátes.
Omnia per ipsum et in ipsum creáta sunt,
¹⁷ et ipse est ante ómnia,
et ómnia in ipso constant.
¹⁸ Et ipse est caput córporis ecclésiæ;
qui est princípium, primogénitus ex mórtuis,
ut sit in ómnibus ipse primátum tenens,
¹⁹ quia in ipso complácuit omnem plenitúdinem habitáre
²⁰ et per eum reconciliáre ómnia in ipsum,
pacíficans per sánguinem crucis eius,
sive quæ in terris sive quæ in cælis sunt.

Verbum Dómini.